

3. Tenetur: ex his enim satis colligitur, passionem huius infelicis Confessarii esse vehementissimam, flammamque impuram, qua exurit, vivacissimam; quia nec sanctitas loci, nec actuale exercitium ministerii sacri, nec metus dandi scandalum eum cohibere potuerunt a tam fordida manifestatione sui, ac præcavendo ex his ipsis circumstantiis lapsu. C. B.

CASUS XI. Factis jam denunciationibus matrimonii Mariam inter & Sergium contrahendi, Bertha soror Mariæ in confessione declarat, sibi peccaminosum commercium fuisse eum Sergio. Confessarius obligat Bertham ad declarandum hoc impedimentum extra sacrum tribunal. Teneturne id implere Bertha?

3. Non tenetur. Confessarius certe abusus est sua potestate obligando poenitentem ad aliquid, quod juri naturali adversatur, nempe ad propriam sui diffamationem extra sacrum tribunal. *Nihil potest*, ait S. Thomas, *præcipi homini contra id, quod est de jure naturali*. Totum id, ad quod Bertha in hoc casu obligatur, sive a Confessario injunctum fuerit, sive non, consistit in eo, ut secreto moneat Sergium de hoc impedimento, hicque aut a contractu matrimoniali absteat, aut necessariam a Superioribus dispensationem obtineat. Caveat autem Bertha, ne hac secreta colloquutione cum Sergio periculo sese exponat novi relapsus, aut alterius mali notabilis v. g. scandali. C. B.

CASUS XII. Excommunicatio fuit publicata in omnes habentes notitiam de furto notabili, & furem non manifestantes. Jam Marcus scit, patrem suum esse huius furti complicem. Teneturne eum denunciare?

3. Non tenetur: Si enim jus civile eximit ab obligatione testimonium deponendi contra suos consanguineos usque ad quartum gradum, maxime circa causas, in quibus bonum Status non vertitur, haud minus certe pietatis inesse censendum est legi ecclesiasticæ. Hinc filius non tenetur semet ipsum diffamare, dum diffamat patrem suum, enimque periculo exponit condemnationis ad trirames vel patibulum. C. B.

CASUS XIII. Petronius juvenis corruptæ indolis pluribus fociis suis ejusdem furfuris palam edixerat, voluptates venereas tempore Bacchanaliorum esse licitas. Estne denunciandus?

3. Cum Petronius dogma proferre ausus fuerit hæreticum, sextique præcepti, quod omni tempore obligat, penitus destructivum, denunciari debet; maxime si videatur.

tur, eum non tam per jocum, quam serio ac ex propria persuasione sic fuisse locutum. C. B.

NOTA. Responso hæc locum habet in regionibus, ubi introducta est Inquisitio.

Vide *Correctio Fraternalis, Sigillum sacramentale*.

## DENUNCIATIONES MATRIMONII.

1. Denunciationum matrimonii nomine intelligitur hic publica promulgatio inter Missarum solemnias dominicis festisve diebus facta, qua populo annunciat contrahendum inter sponsum ac sponsam matrimonium, ut, si quis noverit canonicum has inter personas subesse impedimentum, id manifestet.

2. Talis denunciatio ter debet fieri, aut, si circa secundam & tertiam dispenset Episcopus, saltem semel; alias matrimonium censetur esse clandestinum: toleratur tamen omnis denunciationis dispensatio, si causa subit gravis ac vere legitima. Denunciationes istæ absolute fieri debent inter Missarum solemnias; dispensationesque desuper ab Episcopo concessæ debent declarari in ipso actu celebrationis matrimonii, prout & facta desuper insinuatio.

3. Si fiat aliqua oppositio scripta contra celebrationem matrimonii, Parocho non ultra progrediendum, sed expectandum, donec Partes causam suam dirimant coram Officiali, si opponens alleget promissionem matrimonii ab alterutro sponso alteri personæ factam; si vero opponitur aliud impedimentum, v. g. consanguinitas, causa (in Gallia) ventilanda est, coram iudice sæculari.

4. Hæc omnia respiciunt tantum Ecclesiam occidentalem; cum hoc disciplinæ punctum in Tridentino introductum nec observetur, nec præscribatur in Ecclesia orientali, utpote non invitata ad Tridentinum.

CASUS I. Athenodorus & Juliana celebrarunt nuptias nullis præmissis denunciationibus, idque sine dispensatione. 3. Nec contrahentes matrimonium nec Parochus benedicens a peccato mortali excusari possunt. *Pontas*.

CASUS II. Quido & Antonetta contraxerunt matrimonium ommissis denunciationibus, producentes fictas testimoniales literas dispensationis, quibus deceperunt Parochum, qui eos conjunxit.

3. Matrimonium quidem est validum. Sed omnis falsitio in materia matrimonii est casus reservatus in Diocesi Parisiensi, & ejusdem rei incurritur excommunicationem ipso facto. *Pontas*.

CASUS III. Eparchius & Lydia contracturi matrimonium procurarunt fieri trinam denunciationem, idque sine ulla oppositione. Cum vero interea pater Eparchii mortuus fuisset, nuptiæ tribus mensibus differri debuerunt.

ꝑ. Parochus non potest benedicere huic matrimonio sine novis denunciationibus juxta Rituale Romanum. Si autem Rituale proprium dioecesanum aliud præscriberet, huic se conformare debet Parochus. *Pontas.*

CASUS IV. Florus & Cæcilia habent duo diversa domicilia; per hyemem enim morantur in urbe, per æstatem ruri, aut Florus in hac, & Cæcilia in alia parochia. Quid agendum, si velint contrahere matrimonium?

ꝑ. Denunciations debent fieri in utriusque contrahentis parochia & absque peccato mortali non possunt omitti in alterutra. Nihilominus tamen si contrahentes manent in eadem parochia, sed in alia durante hyeme, & in alia per æstatem, videtur dicendum, quod sufficiat denunciatio in ea parochia, in qua habitant per majorem anni partem, aut in ea, in qua actu morantur; quia tunc dici potest, denunciations factas fuisse in vero contrahentium domicilio. Melius tamen foret, si fierent in utroque domicilio; quia potuit contrahi impedimentum in uno, quod ignoratur in altero. In talibus semper consulenda est praxis dioecesana. *Pontas.*

CASUS V. Mirocles filiusfamilias viginti quatuor annos natus habet domicilium diversum a domicilio patris, tutoris, aut curatoris sui. Jam vult contrahere matrimonium.

ꝑ. Denunciations matrimonii debent fieri in parochia domicilii, quod habet Mirocles, & insuper (juxta disciplinam Ecclesiæ Gallicanæ) in parochia, in qua moratur pater, tutor, aut curator ipsius. *Pontas.*

CASUS VI. Riberius Dioecesanus Vorganiensis contrahere vult matrimonium cum Sylvia Dioecesana Tricastrensi: prima denunciations jam facta in parochia Riberii, hic obtinet a suo Episcopo dispensationem pro reliquis duabus denunciationsibus.

ꝑ. Non possunt absque peccato contrahere matrimonium vi hujus solius dispensationis; sed opus est, ut Sylvia obtineat similem dispensationem a suo Episcopo. Circa dispensationem denunciationsum notari meretur. 1. Per edictum mensis decembris 1691. dispensatio intra mensem insinuari debet, computatione facta a die obtentæ, idque sub pena nullitatis. 2. Vi declarationis 16. Februarii 1692. Parochi & Vicarii in registro, cui benedictiones nuptiales ingerunt, simul

simul annotent denunciations factas, aut dispensationem desuper obtentam, una cum facta insinuatione. 3. Rationes denunciationsum & dispensationum per edictum de 1697. introductæ ad proposita Cleri Gallicani gravamina a Rege sublata sunt. *Pontas.*

NOTA. Hæc ad disciplinam Ecclesiæ Gallicanæ pertinent.

CASUS VII. Pantaleon Parochus ad S. Afaphum cum ter jam denunciasset matrimonium Amandum inter & Blefilam contrahendum, eos conjunxit ipso die tertiæ denunciations.

ꝑ. Non potuit eo die illos conjungere absque peccato, nisi impetrata ab Episcopo facultate; aut nisi ultima denunciatio facta fuerit pridie diei cinerum vel dominicæ primæ Adventus; aut denique nisi tertia vice denunciando simul monuerit populum, eo ipso adhuc die celebrandum fore matrimonium. *Pontas.*

CASUS VIII. Geminus Parochus absque scrupulo facit denunciations matrimonii diebus non festis ac feriatis in populo.

ꝑ. Peccat mortaliter. *Pontas.*

NOTA. Attendenda in his legibus humana consuetudo rationabilis, causa, & Epikia præsertim in vastis Dioecesibus & ubi taxæ satis graves absterrent pauperulos.

CASUS IX. Gosselinus Parochus cum fecisset primam ac secundam denunciations matrimonii Bertrandum inter & Honorinam, qui ambo jam erant ætatis plusquam triginta annorum; Joannes eorum matrimonio sese opponit suamque oppositionem Parocho indicat ipsa Dominica Quinquagesimæ. Nullum ex eo commodum refert Joannes, & solum ideo se opponit, ut eos cogat differre matrimonium usque post ferias Paschales.

ꝑ. Etsi certus sit Gosselinus de malitia Joannis, absque peccato non potest facere tertiam denunciationsem, nec ulterius pergere. *Pontas.*

NOTA. Aliud dicendum foret, si malitiosa intentio Joannis omnibus pateret per argumenta liquida, & sententia Ordinarii tam cito obtineri non posset.

CASUS X. Siranus & Barbara contrahere volebant matrimonium: Landericus autem præfens tertiæ denunciationsi, & sciens, Siranum carnaliter peccasse cum sorore Barbaræ, id indicat Parocho, nulla tamen probatione allata.

*Dist. Cas. Consc. Tom. I.*

**F f**

ꝑ.

*R.* Etsi Landericus nequam velit se opponere huic matrimonio, Parochus tamen ad benedictionem absque gravi peccato procedere non potest. Alexander III. decidit, unicuique testem sufficere ad suspendendam celebrationem matrimonii, etsi hic testis ne quidem comparere velit. Parlamentum tamen Parisiense sentire videtur, oppositionem nudis verbis factam a Parocho non curandam, cum oppositiones ejusmodi ab opponentibus subscribendas fanciverit. Majoris momenti foret oppositio etiam mere verbalis a patre, matre vel tutore sponsi aut sponsæ facta; hac enim interposita Parochus non posset benedicere, prout idem Parlamentum per edictum de anno 1691. constituit. *Pontas.*

*NOTA.* Si Landericus requisitus a Parocho nec assert probationem, nec promittit, se in continenti paratas probationes coram Ordinario deducturam, pergendum est a Parocho ad solemnisationem matrimonii.

**CASUS XI.** Macedonius & Olympia cum vellent denunciations proelamari, Parochus admonetur, communem famam esse, quod Macedonius quondam commiserit fornicationem cum sorore Olympiæ.

*R.* Parochus tenetur suspendere denunciations, peccatque graviter, si ad celebrationem matrimonii procederet; nisi partes factum negent cum juramento, aut delator hujus rumoris sit homo vilis conditionis, cujus loquacitati parum sit fidendum: tunc enim Parochus, cui rumor ille solido fundamento destitutus videtur, posset juxta Innocentium III. benedicere nuptiis. *Pontas.*

**CASUS XII.** Matrona quædam petit dispensationem circa denunciations matrimonii, cum tamen uterque contrahens a sex tantum mensibus in Diocesi degat.

*R.* Episcopus potest dispensare circa tempus requisitum ad hoc, ut quis habere domicilium censeatur; quia tempus istud a lege dicecesana determinatur. *De Lamet.*

*NOTA.* De jure acquirit domicilium pro momento, quo incipit figere suum domicilium cum animo stabiliter ibi habitandi.

**CASUS XIII.** Matrimonium initum a puella quadam viginti sex annorum absque petito consensu parentum cum homine libero, estne validum? an non posset irritari in foro externo, etsi subsistat pro foro interno? Num Parochus, qui benedixit huic matrimonio absque ulla facta denunciatione in parochia, ubi domicilium habet pater puellæ, declarari potest suspensus? num celebrare potest, quin incurrat irregularitatem, usquedum per sententiam declaretur suspensus?

*R.* Puella peccavit graviter contra reverentiam parentibus debitam; matrimonium tamen ratione ætatis est validum, dummodo debita forma in contractu servata fuerit. Denunciations fieri debuissent in parochia, ubi domicilium habuerunt puella & pater puellæ: & Parochus, qui assistit matrimonio non præmissis his denunciationsibus & quidem sine ulla dispensatione, potest & debet declarari suspensus: irregularitatem tamen non incurrit, antequam per sententiam declaretur suspensus. *De Lamet.*

**CASUS XIV.** Parochus ex oblivione intermisit sub majori missa tertiam denunciationem matrimonii inter Petrum & Joannam castino contrahendi; hinc eam supplet sub vesperis. Sufficitne hoc?

*R.* Quidam Canonistæ putant id sufficere, maxime si agatur de matrimonio inter majorenes. Dantur & Diocesæ, in quibus id toleratur. Verum cum Tridentinum expresse voluerit denunciations fieri inter missarum solemnias, & quædam Parlamenta reprobaverint denunciations extra missam, consultius ac tutius foret obsequi.

**CASUS XV.** Parochus cum suis parochianis processionem instituit ad quoddam Eremitorium, ubi missam parochialem celebravit, ac sponsalia de futuro denunciavit. Num bene?

*R.* Si hæc missa vere fuit parochialis, & parochiani interfuerint, potuit hoc fieri.

## DEPOSITARIUS.

**CASUS I.** Quidam emit domum; & illius creditores, quibus solutio præstanda foret, consentiunt, ut pecunia clausa apud emptorem maneat deposita, quin eam suam in lucrum convertere possit. Dicit autem emptor, sibi ad manus esse præsentem pecuniam 11500. florenorum, licet tantum habuerit 7000. florenos.

*R.* Non injuste agit, si creditoribus solvat postmodum pecunias, sive in auro sive in argento consistentes juxta valorem tempore solutionis currentem, etiamsi valor interim accreverit. Peccat autem, majorem se summam habere asserendo, ac actu habet. *De Lamet.*

*NOTA.* Peccatum mendacii manet intra limites peccati venialis, quousque proximum non exponit probabili periculo gravis damni.

**CASUS II.** Depositarius quidam pro censu in lucrum suum mutuas elocat pecunias apud se depositas,

R. *Commercium hoc cum sit usurarium, depositarius tenetur ad restitutionem. Fromageau.*

NOTA. Hic usus depositi *non clausi* non est illicitus, nisi deponentem exponat periculo damni.

## DEPOSITIO &amp; DEGRADATIO.

In quo consistat *Depositio & Degradatio*, quomodo una ab altera differat, quos effectus producant hęc pœnæ, & quales sint species diversę Depositionis, aliaque, quę utramque hanc pœnam concernunt, dicentur in Responsione ad Casum primum.

CASUS I. Maximilianus Prior fuit degradatus ab Episcopo non suo, sed ab alio, in cujus Diocesi crimen enorme & hac pœna dignum commisit.

R. Sive fuerit degradatus in forma præscripta, sive solum depositus, nec potest amplius retinere, nec resignare suum Prioratum; quia per talem pœnam eo absolute est privatus. Est autem Depositio pœna Ecclesiastica, qua Clericus ob enorme crimen absolute & in *perpetuum* privatur suo Officio, ac consequenter & ipso Beneficio. Censura fertur tantum ad tempus; imo etsi feratur in perpetuum, poterit tamen a legitimo Superiore tolli; sed Depositio est *perpetua*, privatque depositum omni spe obtinendę restitutionis in statum suum pristinum. Dantur duę species Depositionis; una *verbalis*, altera *realis*: *verbalis* fit a Iudice Ecclesiastico his verbis: *Authoritate Dei omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ac nostra, tibi auferimus habitum clericalem, & deponimus, degradamus, spoliamus & exuimus te omni ordine, Beneficio, & privilegio clericali.* Depositio *realis* fit non solum pronuntiando præfatam formulam, sed etiam observando certas cæremonias in Pontificali præscriptas. Utraque hæc depositio est mera punitio criminis, cum *censura* fit tantum pœna *medicinalis*, cujus finis est conversio peccatoris. DEPOSITIO differt a Degradatione 1. in hoc, quod illa possit infligi etiam absenti, hæc autem tantum præsentem. 2. Quod Depositio fieri possit solis verbis, & ad Degradationem requirantur solemnitates a Jure præscriptę. 3. Degradatus non solum privatur omni jure clericali, sed etiam exercitio omnium suorum Ordinum, de quibus solus ipsi remanet *character*, utpote *indelebilis*; non potest amplius deferre signa Clericatus externa, habendusque est instar laici; quem tamen effectum non producit *simplex* Depositio. 4. Degradatio non potest infligi nisi pro criminibus in jure expressis,

sis, qualia sunt *hæresis publica, sodomia*, & non nulla alia. 5. Denique depositus potest in priorem statum restitui ab Episcopo; degradatus autem a solo Papa. *Pontas.*

CASUS II. Hilduinus Parochus fuit depositus aut degradatus in forma consueta, ipsique in Parochia suffectus Benedictus. Post mensem Hilduinus peracta exemplari penitentia petiit ab Episcopo restitutionem in gradum pristinum, & Beneficium suum.

R. Si Hilduinus tantum fuit *simpliciter* depositus, poterit ab Episcopo restitui; si vero fuit *degradatus*, solus Papa eum poterit restituere. Nihilominus, etsi a Papa vel Episcopo restituatur, non tamen potest recipere Beneficium, de quo canonicè provisus fuit Benedictus. *Pontas.*

CASUS III. Sylvius degradatus fuit graviter percussus a Cleone. Estne Cleon excommunicatus?

R. Si Sylvius tantum verbaliter fuit degradatus, non absolute privatur omnibus privilegiis Canonis *si quis suadente diabolo*, ut adeo Cleon ipsum percutiens incurrerit excommunicationem: imo gaudet & privilegio fori, seu exemptionis a tribunali iudicium sæcularium, & quoad suam personam solum subjacet foro ecclesiastico, habeturque adhuc tanquam membrum Cleri, etsi omni gradu spoliatus. Si vero realiter seu cum præscriptis solemnitatibus fuit degradatus, utroque simul privilegio spoliatus, potestati iudicis sæcularis subditus, omnique legum rigori subiectus existit; & sic Cleon percussor excommunicationem non incurrisset. C. A.

CASUS IV. Andreas Diaconus realiter ac solemniter degradatus non recitat Breviarium, vivit more laicorum, imo & matrimonium inire cogitat. An hæc agendi ratio ipsi permissa per degradationem?

R. Doctores existimant, degradatum nec ab obligatione recitandi Breviarium, nec ab observatione voti castitatis eximi; & si velit vivere more laicorum, a Magistratu sæculari jure coerceri posse, ac puniri. C. A.

CASUS V. Lucianus Presbyter fuit condemnatus ad mortem; licetne sententiam exequi ante degradationem?

R. Pontificale Romanum præscribit quidem hanc cæremoniam in degradatione actuali; imo & Carolus IX. per Edictum anni 1571. in favorem Cleri emanatum art. 14. expresse decernit, ne in casu enormis criminis sententia condemnatoria ad mortem in Sacerdotes aliosque sacris Ordinibus initiatos executioni detur absque prævia Degradatione: ho-

die tamen id non amplius observatur; sive quia Clericus factis degradatus censetur per enormitatem criminis, sicque cæremonia degradationis inutilis existimatur; sive quia nimia difficultas esse creditur in convocatione tot Episcoporum pro Degradatione Sacerdotis aut Diaconi: Ordinarius enim juxta rigorem Juris sex Episcopos ad Degradationem Sacerdotis, & tres ad Degradationem Diaconi convocare debet. C. A.

NOTA. Hæc difficultas per Concilium Tridentinum sublata est Sess. 13. cap. 4. juxta quod solum requiritur, ut Episcopus ad Degradationem actualem ac solemnem convocet tot Prælatos aut Abbates cum mitra & pedo pastorali, si commode in civitate aut Diocesi haberi possint, aut in eorum defectu totidem alios viros doctos ac in dignitate ecclesiastica constitutos, qui juxta Canones antiquos alias assistere solent Episcopis. C. A.

CASUS VI. Lampridius Vicarius generalis Laudunensis in absentia Episcopi degradavit Geofredum Presbyterum enormis criminis reum. Estne Degradatio valida?

R. Si Degradatio erat tantum verbalis, juxta Tridentinum valida est, etsi pronunciata solum a Vicario generali; Degradatio vero actualis ac solemnis non potest fieri nisi ab Episcopo. Canonistæ insuper defendunt, Episcopum debere esse consecratum, cum jus degradandi sit annexum Ordini ac characteri Episcopali. Fit autem Degradatio ab Episcopo in præsentia judicis sæcularis, cujus jurisdictioni ac tribunali reus penitus subicitur, additis tamen precibus, ne eum morti adjudicet, ut sic pateat, Ecclesiam non appetere sanguinem, sed solummodo conversionem rei. C. A.

## DEPOSITUM.

1. *Depositum est contractus, quo res custodienda traditur, ut integra restituatur. Materia Deposti est ordinarie res mobilis; bona enim immobilia, cum de eorum proprietate aut possessione litigatur, committuntur sequestro. Depositum est duplex; aliud simplex, aliud judicarium: JUDICIARIUM est, quod fit ex præscripto Judicis: Depositum SIMPLEX vel est voluntarium vel necessarium: VOLUNTARIUM est, quando deponens plenam habet libertatem deponendi, cui vult & quando vult: NECESSARIUM est, quod fit a deponente ob evidens, in quo versatur, periculum, ut est discrimen incendii, pugnæ, naufragii, aut seditionis. Tale est etiam Depositum viatoris Cauponi factum in hospitis, in quo divertere tenetur.*

2. In Gallia non admittitur probatio per testes de facto Deposito voluntario, si summa deposita excedit 50. florenos: pro Deposito autem necessario semper admittuntur testes.

3. Depositum aliquando fit gratuito, & quandoque pro pretio solvendo depositario, ut rei custodiendæ curam gerat; quod ut distinguatur, permagni refert.

4. Regulariter loquendo Depositum est res sacra, & depositarius non potest rem depositam in usum suum convertere absque deponentis consensu; nec si res deposita fructificet, sibi applicare fructus; sed pertinent ad proprietarium. In quibusdam casibus depositarius non tenetur statim deponenti reddere rem depositam. In Deposito simplici, sive voluntario sive necessario depositarius non nisi de dolo tenetur aut de culpa lata. Si unus aut plures depositarii rem depositam custodiendam susceperunt, quilibet eorum deponenti tenetur in solidum.

5. Si depositarius in mora fuit restituendi Depositum, aut si res fuit deposita in propriam depositarii utilitatem, aut si mercedem accipit pro custodia rei, aut denique si se obligavit ad casus fortuitos, tenetur ferre jacturam rei, etiam si per casum fortuitum perisset. Ut deponens rem depositam pro arbitrio repetere, sic eam depositarius potest pro libitu restituere. In Deposito locum non habet compensatio; quare depositarius recusare non potest deponenti restitutionem rei depositæ, etsi deponens ipsi debeat summam æquivalentem. Quamdiu res deposita & repetita adhuc existit, locum non habet præscriptio in favorem depositariorum.

CASUS I. Babolinus deposuit apud Jacobum cistam oberatam simul & obfignatam, in qua præter chartas maximi momenti 100. dopiones contineri ajebat. Post tres menses repetit a Jacobo cistam; in qua tamen non amplius reperit 100. dopiones. Urget quidem Jacobum, ut eos compenset; at iste ad id se non teneri asserit.

R. Si Jacobus suam Babolino cistam restituit in eo statu, in quo accepit, id est, oberatam ac obfignatam, ad nihil ipsi tenetur: depositarius enim non tenetur rationem reddere de rebus sibi non visis. Aliud foret, si Babolinus 100. dopiones monstrasset Jacobo, ac in ipsius præsentia cistæ intulisset: tunc enim posset desuper conveniri. Pontas.

CASUS II. Patritius Paulo amico suo numeravit 40. aureos, eosque sine obfignatione apud illum deponit asservandos. Paulus his pecuniis utitur ad negotia sua sine permissione Patritii, nixus illa regula: *pecunia deposita numerata transit in metuum.* Confessarius autem hac de re Paulo mo-

vet scrupulum ex hac ratione ; quia Depositum , sive sit clam-  
fum sive non , habetur tanquam res sacra. Quærit Paulus ,  
num licite vel illicite egerit.

R. Male egit Paulus : Depositum enim non potest transi-  
re in mutuum , nisi de consensu deponentis , juxta legem :  
*pecunia debita ex causa Depositum , modo pacto ( id est , sine con-  
sensu expresse deponentis , ut depositarius possit libere uti  
deposita pecunia ) non potest converti in mutuum ; quia depo-  
nentis erant nummi.* Et certe circumstantia exhibitionis &  
numerationis depositæ pecuniæ non mutat naturam Depositum ,  
cum alias & deponentis & depositarii plurimum interfit nosse,  
& quid deponatur , & quid in Depositum recipiatur. Si ta-  
men Paulus habuisset gravem rationem præsumendi consen-  
sum Patritii in usum pecuniæ , usus ipsi culpæ dandus non  
esset ; quia in ejusmodi casu sufficit consensus præsumptus.  
Verum notari meretur , quod Patritius , etsi formaliter ac ex-  
presse in usum pecuniæ consensisset , illam tamen semper re-  
petere posset sub ratione Depositum , & non sub ratione mutui ;  
saltem nisi contractum Depositum mutasset in contractum mu-  
tui. *Pontas.*

NOTA. Consensus deponentis generaliter præsumendus est , si Deposi-  
tum non sit obsignatum , & de alia intentione deponentis non  
constet.

CASUS III. Victorinus amicus meus cubicularius Leo-  
barii nomine ac de mandato Heri sui mihi incogniti apud me  
deposuit adamantem valoris 40. aureorum. Rem hanc bona  
fide Victorinus detexit Petro ; qui post aliquot dies venerat  
ad me , simulans se esse Leobarium , & repetens adamantem,  
quem tali die , hac hora per cubicularium suum Victorinum  
custodiendum deposuisset. Ego bona fide credens , esse ip-  
sum Leobarium , maxime cum tam exacte designasset omnes  
circumstantias , tradidi ipsi adamantem. Verum cum altero  
die Victorinus ipse nomine Heri sui eundem peteret , dete-  
cta est fraus. Teneorne Leobarium ad compensationem  
damni ?

R. Bona fides me excusat a restitutione ; solique Leoba-  
rio ferendum damnum , nisi Petrus restituat. *Si rem a servo  
deposuit , ait lex , Titio , quem Dominum ejus putasti , cum  
non esset , restituisses , Depositum actione te non teneri Celsus ait ;  
quia nullus dolus intercessit.* Prudentis depositarii est uti præ-  
cautione , ne rem depositam reddat homini ignoto , nisi in  
præsentia aut de mandato illius , qui eam deposuit. *Pontas.*

NOTA. Teneor , Petrum impostorem deferre judici , etsi morte ple-  
tendus prævideretur ; quia non agitur ad vindictam , sed ad indem-  
nificationem innocentis.

CASUS IV. Lampadius a quodam confanguineo suo ac-  
cepit Depositum ; quod repetenti recusat restituere , etsi  
possit.

R. Peccat contra justitiam , nisi habeat justam causam re-  
cusandi restitutionem : si vero habeat justam causam , absque  
injustitia recusare potest restitutionem. Causa v. g. justa fo-  
ret detinendi gladium depositum , si deponens eum reposceret  
ad occisionem alterius ; aut si res deposita servaretur in do-  
mo authoritate judicis obsignata. *Pontas.*

CASUS V. Anselmus deposuit apud Julianum 600. flo-  
renos , & brevi post moritur , duosque relinquit filios , hæ-  
redes unicos. Natu major statim petit a Juliano summam  
depositam , & obtinet portionem suam , videlicet 300. flo-  
renos. Paulo post autem Julianus in eum statum redigitur ,  
ut non amplius possit suam etiam natu minori portionem sol-  
vere ; qui propterea a fratre suo petit , ut saltem secum divi-  
dat jam acceptos 300. florenos , quod ille recusat.

R. Hæc recusatio justa est. *Pontas.*

CASUS VI. Lælius & Octavius fratres communi consen-  
su receperunt a Petro Depositum 200. florenorum. Post tres  
menses Petrus petit a Lælio restitutionem Depositum , qui of-  
fert dimidium , videlicet 100. florenos ; alterum dimidium ,  
respondet , fratrem suum non esse solvendo propter casum  
fortuitum. Petrus autem præterdit , Lælium obligari in so-  
lidum.

R. Juste id præterdit Petrus.

CASUS VII. Zenoni depositus fuit equus ad mensem so-  
lummodo ; elapso mense proprietarius repetit equum , qui ,  
cum a Zenone non statim fuit restitutus , altero die periit ex  
casu fortuito.

R. Zeno tenetur ferre jacturam equi ; quia trahendo mo-  
ram in restitutione equi censetur in se recepisse periculum.  
Si tamen equus independenter a retardatione periisset , ut si  
v. g. habuisset defectum lethalem , aut jam biduo ante lapsum  
termini hausisset venenum , jactura ferenda esset deponenti.  
*Pontas.*

CASUS VIII. Martialis apud Judam deposuit 500. flo-  
renos , donec ex itinere reverteretur , asservandos , quos cum  
redux repetisset , Judas promisit , se crastino illos missurum ;  
sed non stetit promisso. Paulo post in seditione spoliata  
est domus illius , & pecunia direpta.

ꝑ. Judas tenetur Martiali ad compensationem Depositum.  
*Pontas.*

CASUS IX. Tiberus a Philippo depositos habet apud se 1500. florenos, quos ocysus se restitutum promisit, quamprimum Philippus petisset. Hic post mensem repetit Depositum; sed Tiberius, qui jam antea similem summam Philippo mutuam dederat, recusavit id restituere, usus compensatione.

ꝑ. Non potest uti compensatione. *Contra Depositum*, ait Gregorius IX. *compensationi vel deductioni locus non fuit.* Compensatio solum locum haberet, si debitum proveniret ex ipsa ratione Depositum, v. g. ratione expensarum necessario faciendarum in conservationem equi depositum. *Pontas.*

CASUS X. Paulinus rogat Constantinum, ut sibi mutuos det 1000. florenos pro emendo intra tres aut quatuor menses officio. Constantinus promittit ipsi hanc summam ad tempus illud; sed cum post aliquot dies cogeretur longum iter instituere, offert Paulino petitos 1000. florenos per modum Depositum, concessa ipsi libertate, partem hujus Depositum applicandi pro emptione officii. Paulinus id acceptat; sed post ostidium perit apud ipsum pecunia deposita casu pure fortuito.

ꝑ. Damnum ferendum est Paulino. *Pontas.*

CASUS XI. Ferdinandus acceptavit a Geofredo 2000. florenos ad sex menses per modum Depositum retinendos; sed timens, ne sibi hoc Depositum furto subtraheretur, institit apud Geofredum, ut depositam pecuniam reciperet; quod tamen ille recusavit, cum non haberet alium amicum; apud quem pecuniam deponeret.

ꝑ. Ferdinandus potest obligare Geofredum ad recipiendam suam pecuniam. *Pontas.*

CASUS XII. Odericus deposuit apud Blasium poculum argenteum. Paulo post oritur rumor, quod Odericus hoc poculum abstulerit Bonaventuræ; qui & sciens, ubi fuerit Depositum, id repetit a Blasio. Inter hæc etiam Odericus suum repetit Depositum.

ꝑ. Depositarius tenetur rem restituere domino suo, si certus sit, Depositum non pertinere ad deponentem. Si vero sit dubium, tandiu rem depositam retinere debet, donec clarum fiat, ad quem pertineat: in hoc enim casu dubii depositarius agit sequestrum legalem, cui expectandum, donec dubium fuerit sublatum, ut dein rem tradere possit illi, qui se verum ac legitimum ejusdem Dominum esse probaverit. *Pontas.*

CASUS XIII. Anselmus rogat Exuperium, ut sibi afferret pallium coccineum & 500. florenos.

ꝑ. Exuperius nec pallio nec pecunia potest uti sine consensu expresso aut tacito Anselmi; & si pecunia foret clausa, ea utendo committeret furtum. Si vero pecunia tradita est aperta, & Exuperius rationabiliter præsumere potest consensum tacitum Anselmi in usum pecuniæ, ea uti potest absque peccato; dummodo certus sit, se fore semper in eo statu, ut ad primam deponentis petitionem rem depositam possit restituere. *Pontas.*

CASUS XIV. Diogilus deposuit apud Samsonem 1000. florenos obsignatos & in cistula clausos, cujus clavem ipse retinuit. Samson cistulam reposuit in loco suæ domus tutissimo, ubi & suam pecuniam ac thesauros recondidit. Nihilominus eo penetrarunt fures, & tam pecunias Diogili quam Samsonis abstulerunt.

ꝑ. Non tenetur Samson ad restitutionem Diogilo. *Pontas.*

CASUS XV. Si in priore casu Samson in se recepisset præstationem casus fortuiti ex furto; aut si Diogilus aliquid ipsi solvisset pro diligenti custodia, an tenetur Diogilus ad restitutionem ablati?

ꝑ. Teneretur ad restitutionem. *Pontas.*

Nota. In secundo casu ad nihil teneretur; quia sub termino *diligentis custodia* non comprehenduntur *casus fortuiti*, quos nec *diligens custodia* effugit.

CASUS XVI. Sylvius accepit Depositum 100. florenorum, quos quidem reposuit in suo cubiculo clauso, non tamen in cista, in qua suam pecuniam afferaverat. Famulus autem quidam domesticus, quem semper fidelem expertus fuerat, ac propterea sæpius ipsi clavem ad cubiculum commiserat, aufert 100. illos florenos, & aufugit.

ꝑ. Non censetur Sylvius eximi posse a restitutione hujus Depositum. Ratio est; quia depositarius circa res depositas tenetur adhibere eam diligentiam, quam adhibet in rebus propriis, quod factum non est a Sylvio, qui proprias pecunias in cista bene obserata servaverat, depositas autem conspectui ac infidelitati famuli exposuerat, cui facile suboriri potuit tentatio. *Pontas.*

Nota. Aliud foret, si Sylvius jam sæpius pecunias in suo cubiculo hujus famuli oculis expositas reliquisset, aut alio deportandas commisisset, semperque fidelem reperisset. Et sic ex bene ponderatis circumstantiis decidenda res est.

**CASUS XVII.** Ambrosius post mortem patris sui reperit in quodam marsupio 300. florenos, quos Antonius secreto deposuerat, quin exegisset acceptæ pecuniæ syngrapham, & quin ullam hac de re Ambrosius habuerit notitiam. Hic proin existimans, esse bona patris sui, applicat hanc summam ad Loteriam, ex qua tamen nihil lucratus est. Paulo post repetit Antonius ab Ambrosio Depositum, qui reponit, se bona fide consumpsisse has pecunias, & consequenter non teneri ad restitutionem.

ꝛ. Non tenetur Ambrosius ad restitutionem. Si tamen factus fuisset ditior, teneretur restituere. Hinc jactura Depositum ferenda est Antonio. *Pontas.*

**CASUS XVIII.** Tancredus deposuit Parisiis equum apud Josephum cum obligatione, ut sibi illum intra tres menses restitueret Lugduni. Id executus est Josephus; sed petit compensationem expensarum in nutritionem & transmissionem equi, quæ ipsum valorem equi exæquabant.

ꝛ. Tancredus tenetur depositario ad expensas. *Si in Asia Depositum fuerit, inquit Lex. ut Romæ reddatur, videtur id actum, ut non impensa ejus id fiat, apud quem Depositum sit, sed ejus qui deposuit.* Josephus igitur jure reposcit expensas, nisi se obstrinxerit ad gratuito servandum ac reddendum Depositum, aut contraria desuper stipulatio inita fuerit. *Pontas.*

**CASUS XIX.** Apponius abiturus in regionem longinquam capiendæ hæreditatis causa, deposuit apud Guilielmum 300. oves brevi tondendas. Tempore consueto, quo oves tonderi solent, cum nondum rediisset Apponius, oves tonderi jubet Guilielmus, sibi que lanam & agnos interea natos vendicat. Redux sub finem autumnii Apponius una cum ovibus & Canam & agnos sibi petit restitui.

ꝛ. Guilielmus tenetur in conscientia ad hanc restitutionem, deductis tamen expensis in rem depositam factis. *Pontas.*

**CASUS XX.** Tatianus deposuit apud Claudium 800. florenos. Paulo post ob commissum a se homicidium proditorium damnatus est ad mortem, & omnia ejus bona fuerunt addicta fisco regio. Sed fugiens ex carcere ac clam delitescens, omnibusque vitæ subsidiis destitutus, petit sibi restitui summam depositam.

ꝛ. Nec Tatiano, nec legitimis ejus hæredibus restituenda est summa deposita; sed Fisco Principis consignanda. *Pontas.*

*Nota.* Possent tamen Claudius succurrere Tatiano, si in extrema necessitate constitutus, omnique alio subsidio destitutus foret. Ad hæc, sicut Papa directe non obligat ad actus mere internos, ita videtur mihi

mihi, Regem nec velle nec posse directe disponere circa subditorum bona mere occulta, nisi ex dominio alto, cujus usus locum non habet, nisi in casu, quo manifeste id postulat non mera utilitas, sed necessitas ac salus Reipublicæ; quod motivum in præsenti casu deest.

**CASUS XXI.** Mamertus Religiosus ex Ordine reformato, ubi Theologiam proficetur, deposuit 500. florenos apud Ambrosium mercatorem, rogans, ut si imminueretur valor pecuniæ, aut omnino proclaretur, eam in suo adhiberet commercio. Id executus est Ambrosius, ac post octiduum volens restituere pecuniam, denuo rogatur, ut eam tandiu retineret, donec eam Mamertus reposceret; quod si moretetur, eam restitueret Monasterio. Ex hoc advertit Ambrosius, Depositum hoc non pertinere ad aliam quamdam personam particularem, sed ad ipsum Religiosum, agentem hoc modo contra votum paupertatis. Itaque querit 1. An Religiosus sine peccato possit sibi retinere tale peculium. 2. An, supposito, quod non possit, ipse sine peccato possit depositam servare hanc pecuniam; aut num in conscientia teneatur eam restituere deponenti, ne fiat complex peccati.

ꝛ. *Ad 1.* Certum est, Religiosum professum non posse habere peculium tanquam proprium, de quo possit disponere pro suo libitu. *Ad 2.* Ambrosius, cum certus sit, Mamertum sibi servare hanc summam contra votum paupertatis, tenetur in conscientia Religioso restituere hanc pecuniam, ne peccati alieni se reddat participem; imo ex charitate tenetur etiam admonere de peccato, quod tali proprietate committit. *Pontas.*

*Vide Religiosus.*

*Nota.* Sicut non licet pecuniam furtivam, v. g. 500. florenos, restituere fari, sed vero Domino, ita nec licet ejusmodi Deposita Religioso, sed Monasterio. Monendus tamen Religiosus foret in dubio, an res deposita non pertineat ad alium Dominum? & ad quem?

**CASUS XXII.** Petrus factus majorennis prætendit a suo tutore Joanne, quod sibi debeat 5000. florenos; id negante tutore contrahit multa debita pro continuanda adversus eum lite, quorum fidejussores erant Jacobus & Paulus. Petro mortuo creditores petunt immissionem in ejus bona. Jacobus fidejussor, ne implicaretur molestæ controversiæ, transigit cum Paulo fidejussore pro summa pecuniæ, cui cedit omnia jura & obligationes in bona defuncti. Interea vero reperit Jacobus quasdam rationes apud privatum hominem depositas, easque emit. Ex his poterat colligi, quod Tutor,



tor, videlicet Joannes, Petro defuncto debuerit 5000. florenos: has scripturas offert se traditurum Joanni, ne, si deveniant in manus hæredum aut creditorum Petri, contra eum instaurent litem; sed pro hoc obsequio petit, ut sibi solvantur 3000. floreni, quos Petrus sibi etiamnum debebat, non comprehensos in transactione cum Paulo.

β. Jacobus non potuit tuta conscientia documenta rationum tradere Joanni tutori insciis & non expresse consentientibus creditoribus, cumque hæc documenta pertinerent ad creditores, Jacobus ea ipsis tradere debuisset. *Pontas.*

CASUS XXIII. Solon moribundus se accusat, quod 400. florenos a quatuor a se nominatis personis injuste acquisivisset; hinc similem summam tradit Confessario his personis restituendam. Hæres Solonis rei hujus hausit notitiam, & existimans, hanc summam fuisse donatam Confessario, judicialiter petit ejusdem restitutionem.

β. Confessarius potuit & debuit in se recipere hoc Depositum: prudentiæ tamen fuisset non recipere hanc pecuniam nisi in præsentia fide dignorum testium, si Solon voluisset consentire, aut pro majori securitate exigere, ut moribundus rei hujus faceret mentionem in testamento suo, aut alio chirographo a se subscripto. De cætero in judicio plura Confessario eloqui non licet, quam ut simpliciter declaret, moribundum sibi tradidisse hanc summam, ut de ea dispo-neret juxta intentionem ejusdem sibi notam; & si Confessarius est Religiosus, deberet affirmare, hanc summam non cedere in utilitatem sui Monasterii. *Pontas.*

CASUS XXIV. Philidorus Polonus Parisiis graviter decumbens tradit Harduino mercatori 800. florenos cum expresse mandato, ut hanc summam traderet Godefrido amico & benefactori suo, idque in signum amicitie & gratitudinis. Philidorus moritur, & Godefridus petit hanc summam.

β. Harduinus depositarius non potest tuta conscientia hanc summam tradere Godefrido; quia non solum pecunia sed etiam omnia bona mobilia Philidori in ipso momento mortis ipsius pertinent ad fiscum juxta constitutiones regni; nisi Philidorus fuerit jure civitatis donatus. Ab hac regula generali excipiendi sunt Avenionenses, qui indigenarum instar habentur; item exteri frequentantes nundinas Lugdunenses & Campaniæ, morientes in regno. Incolæ cujuslibet provinciæ de novo acquisitæ a momento acquisitionis obtinent privilegium indigenatus, gaudentque omnibus privilegiis regnicolarum, et si locus nativitatis eorum denuo potestati prio-

ris Domini subjectus fuerit; dummodo ipsi in locum nativitatis ac sub imperium pristini Domini reversi non fuerint. *Pontas.*

NOTA. Vide dicta ad cas. 20. Lex illis, quæ in antro Poliphemi fors existunt, haud multum abfimilis, circa bona occulta non obligat in conscientia. Adverte insuper, Jus Albinatus per conventiones Regem inter ac alios Europæ Principes ac Status initas plerumque jam esse sublatum.

CASUS XXV. Nonnemo summam quandam pecuniæ deposuit apud amicum, quæ postmodum furto fuit ablata.

β. Depositarius tenetur restituere rem depositam furto ablatam 1. si furtum contigit ex culpa depositarii. 2. Si depositarius ipsemet se obtulit ad recipiendum Depositum, simulque se obligavit ad omnem casum fortuitum. 3. Si ipsi pretium solvitur pro cura & custodia rei. Absque his conditionibus depositarius non tenetur restituere rem depositam, quæ non obstante ordinaria prudentis patrisfamilias in rebus propriis pro custodia illius adhibita diligentia fuit furto sublata. *De Lanet.*

CASUS XXVI. Sergius deposuit apud Paulinum vasa argentea ponderis quinquaginta marcarum, non determinatis numero ac specie eorum. Tenetur Paulinus ea ipsa vasa in individuo restituere Sergio Depositum repetenti?

β. Quia depositario sola incumbit custodia rei depositæ, tenetur eam reddere in specie, id est, eam ipsam rem, quam custodiendam recepit. Si fuit depositum frumentum aut vinum, tenetur restituere id ipsum frumentum & id ipsum vinum. Nihilominus si quid fuit depositum, v. g. vasa, lintea &c. quin singulatim fuerint designata, & tantum pretium eorum determinatum, depositarius satisfaceret reddendo pretium. Eodem modo, si quis deposuit summam pecuniæ, non designando species nummorum, sed simpliciter ac nude denominando summam, sufficit, si depositarius restituat summam ejusdem quantitatis; quia in hoc casu deponens censetur consensisse in numerationem ejusdem summæ sub quacumque specie monetæ. Verum si non solum summa, sed & species monetæ nominatim sint expressæ, aut si nummi sacco sint inclusi obsignato, idem prorsus, quod depositum est, in numero & specie, in eadem qualitate ac quantitate deponenti restituendum est. Unde sequitur, Paulinum solum obligari ad restituenda vasa ponderis quinquaginta marcarum; quin sint eadem in individuo, quæ Sergius deposuit, imo & solum valorem eorum in numerata pecuniâ. C. D.